23

Frigidior glacie semianimisque fui
Et languere diu patitur dolor excitor illo
Excitor et summa Thesea voce voco
Quo fugis exclamo scelerate revertere Theseu
Flecte ratem numerum non habet illa suum
Hec ego quod voci deerat plangore replebam
Verbera cum verbis mixta fuere meis
Si non audires ut saltem cernere posses
Iactate late signa dedere manus
Candidaque inposui longe velamina virge
Scilicet oblitos admonitura mei
Iamque oculis ereptus eras tum denique flevi
Torpuerant molles ante dolore gene
Quid potius facerent quam me mea lumina flerent
Postquam desierant vela videre tua
Aut ego diffusis erravi sola capillis
Qualis ab Ogygio concita Baccha deo
Aut mare prospiciens in saxo frigida sedi
Quamque lapis sedes tam lapis ipsa fui
Sepe torum repeto qui nos acceperat ambos
Sed non acceptos exhibiturus erat
Et tua que possum pro te vestigia tango
Strataque que membris intepuere tuis
Incumbo lacrimisque toro manante profusis
Pressimus exclamo te duo redde duos
Venimus huc ambo cur non discedimus ambo
Perfide pars nostri lectule maior ubi est
Quid faciam quo sola ferar vacat insula cultu
Non hominum video non ego facta boum
Omne latus terre cingit mare navita nusquam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1666/0051

MANFRED
LAUTENSCHLÄGER
STIFTUNG